

π n
7007



21



W. 522, 9

B. m. T.



IN HONOREM BENEDICTI
SEMINIS

DISSERTATIO HISTORICA I.

DE

FOEMINARUM

ILLUSTRIUM ERUDITIONE,

Quam,

Sub Umbone Altissimi,

in Alma Wittebergensi, ad D. 20. April.

Ann. M DC LVII.

Præside

M. JOHANNNE HERBINIO,

Scholæ Bicinensis vocato Rectore.



Eruditorum disquisitioni

proponit



Respondens

JOHANNES JACOBI,

Strelâ Silesius.

In Auditorio Minori hor. antemer.

WITTEBERGÆ,

Exscribebat MICHAEL Wendt,



IN HONOREM REVERENDISSIMI
DESSERATATO HISTORICA I
DE
FÖRMINARUM
ILLUSTRIUM ERUDITIONE

Sub Limbo Alstern
in Alma Witebergensi ad D. 20. April.
Ann. M. DC. LXX.

M. JOHANNES HERRINIO,
Scholae Bienenfeldensis Rector.

Eruditionum Disputationes
PRAEFATIO
PRAEFATIO



JOHANNES JACOBI,
Siculae Siculae.

In Authoris Libris non continetur.

WITTEBERGAE,
Exstipendat MICHAEL SPENGLER





IN
HONOREM BENEDICTI SEMINIS

Exercitatio

Ad locum Taciti, libro de Moribus Germanorum. c. 19. 1.

Literarum secreta viri pariter ac fœmine ignorant.

CAPUT I.

De Prædicato Propositionis.

§. I.

Eruditio, quam nobile gratumque ac peculiare hominibus donum à DEO & ornamentum sit, non jam demum discere nobis atque disputare prolixè licet, cum in ejus admiratione tot veterum animi consumti, & laudibus disertissimorum defatigatæ linguæ sint. Paucis ea complexus Phœbeus ille humani generis medicus (sicut eum *Marsilius Ficinus* ejusdem interpres vocat, in argumento in *Dialog. 5. de justo*) *Eruditione*, inquit, *neq; hominibus neq; Diis revera unquam quicquam præstantius est, aut erit: in Phædro.* Non alienum hoc sanè est: cum per eruditionem rationi sua constet divinitas, homini sua jucunditas, Civitatique utilitas. Inde tot veterum carmina, tot exempla in ejus iverunt elogia aliqui disciplinas Musas quasdam & innuptas quidem virgines, ceu abstracta quædam humanitatis ac gloriæ, vocarunt: plerique eruditionem & sapientiam in solâ ingenii præside Minerva comprehenderunt.

§. II. Quam vero in erudito otio gratiam hauriant atque

que voluptatem, veteres itidem docuere, qui comites Musis Charites s. Gratias admiscuere pulcerrimo (ut *Erupides* ait) conjugio. Et rectè Fabius, *ipsa* inquit, *literarum possessio plenissimam studiis gratiam refert*. Quam gratiam haud capiunt artium scientiarumque osores, qui, quod in se desperant boni, in aliis ceu scelus dente carpunt invito & maligno. Sed neque in pravo ac fordido lacu Nymphæ unquam habitarunt.

§. III. Publicè quam profit Eruditio privatimque, rerum annales & experientia testes quotidie sunt: adeò ut verè iterum Fabius asserat, *non reperiri, qui sit studio nihil consecutus, lib. 1. cap. 4.* Cicero duas tantùm ad eminendum vias, potentiam & eloquentiam, aliasque eruditiones novit, *Orat pro Muræna*. Quia autem non orare nobis jam causam, sed disputare de Fœminarum eruditione incumbit: de Origine igitur eiusdem pauca primùm præfabimur.

§. IV. Et quod ad eruditionem attinet: eam sibi Græcia primùm Græci que vendicarunt, seque homines ac humanos, cæteris barbaris existentibus, primi pronunciarunt. Hinc illa oratoris Græci ad Romanum, in curia Rhodiorum, vox: *Vos quidem Romani, armis felices, simul tamen in scientiis rudes admodum estis: siquidem plura de literis femine Græcæ, quam de armis viri Romani sciunt, Euphorion l. 4. de gestis Rhodior.* Hinc & illæ Diis à Thalete Milesio habitæ gratiæ, quod hominem se, non belluam, marem, non fœminam, Græcum, non barbarum nasci voluerint. Quin immò Livius ipse, *Græcam gentem omnium eruditissimam, lib. 39. cap. 8.* dixit. Cæterum non est, quod fastu adeo tumescat Græcia: non enim parentem se & primam literarum inventricem, sed nutricem potius earundem agnoscere debet, quod porrectâ literis quasi utraque mammâ, eas lactaverit, donec lacertos in Italia, virilitatēque in Germania acquireret. Plato ipse testis est, Græciam ante Cadmum literas ne vidisse quidem, *in Timæo. Euseb. lib. 1. & 10.* Imo Cadmum id. primum invenisse literas, quæ Punicæ propter Cadmum dicuntur, autor est Plutarch. *lib. 9. Sympos. qu. 3.* Phænicibus ergo literas potius, quam Græcis, tribuere oportet.

tet, quæ nigellæ ideo Cadmi filiæ vulgo audiunt. Sed de his aliàs.

§. V. Quod verò Majores nostri Germani literarum cognitionem habuerint nullam, eadem eos absolvit ratio, quæ Græcos ante Cadmum indoctos. Quanquam hoc loco Tacitus non eruditionem & nucleum, sed elementa potius literarum ac putamina intelligat, juxta mentem Cl. Bernegg. in *h. l. quest. 99. Literarum secreta viri pariter ac fœminæ ignorant,* inquit Tacitus: quia literis etiam occultè ultro citroque missis corrumpi fœminæ solent. Quam ob rationem nonnulli hodie filias puellas à studiorum non cognitione duntaxat arcent, sed ne legere quidem literas aut scribere eas volunt: ne peritæ artis & adultæ per epistolarum commercium corrumpantur. Quod, nescio, an ad literarum prohibitionem sufficiat, vel cõtra mille fœminarum astutias quicquam faciat?

§. VI. Quod tamen mulierum concernit eruditionem: limitandam eam putamus. 1. Alia enim est *Excellentis* scientia totius *ἐγκυκλο παιδείας*, alia mediocris eruditio. 2. Alia *excellens in omnibus* aut fanè pluribus, alia in aliqua scientia. 3. Generalis doctrina, quæ est Dei morumque cognitio, diversa est à speciali ejusdem disciplinæ peritia. 4. Denique alia est eruditio Theoretica, & alia practica, quas distingui oportere cum Spanheimio, in *2. Epist. ad A. M. Schurm.* censemus. Sed in Gynæceum, ubi utinam tot eruditas inveniamus fœminas, quod habemus viros rudes!

CAPUT II.

De Subjecto in Genere.

§. I. Subjectum Propositionis nostræ viri pariter ac fœminæ sunt. Virorū quia nemo eruditionem in jus vocavit, & nos eam præteribimus. De Fœminarum eruditione aliisque virtutibus disserendum nobis est, in veritatis, non adfectus, gratiam.

§. II. Limitanda autem in hac propositione tria sunt: subjectum, prædicatum & prædicati cum Subjecto coherentia.

tia. Prædicatum suâ radiat luce Esse. I. *Subiectum limitandum*, aperte protestatur Generosissima Heroïna, *A. M. Schurmannia*, in Probl. de Fœm. doctrin. Affingere enim peregrinum cuiquam sensum ex contradicēdi prurigine, nefas omnino est: quod quidem ex non rectè limitata voce, adeoque ejusdem significationis ignorantia, evenire solet facillimè. Ideoque distinctione liberamus fœminam ab æquivocatione: aliam (α) esse fœminam *illustrem*, aliam *plebejam*. Illi, quàm huic expedire eruditionem docemus (β) Plebejæ sunt vel fortis optimioris, vel tenuioris. (γ) Distinguimus inter fœminas à domesticis occupationibus liberiores, & iisdem maximè intricatas. (δ) Confundendi neutiquam erunt fœminarum generii, quorum aliqui studia cogitant, alii, uti hostem, averfantur. Stultitia est autem, venatum ducere invitos canes, *Plaut. Stich.* & nihil præcepta atque artes valent, nisi adjuvante naturâ. *Quintil. 1. præfat. 2.* Ut autem prædicato subiectum conveniat, adeoque eruditio de fœmina apprimè prædicetur, advertere quoque ad genium, mores, consuetudinesque Gentium oportet: quarum alia eruditionem fœmininam in prætio ac deliciis habent: alii admirantur saltem: nonnulli omnino oderunt, qui nempè humanitatis nectare obiter aut non uncti penitus sunt. Non denique obijcienda nobis est *necessitatis* cujusdam assertio, qui *convenientiam* duntaxat eruditionis in fœmina propugnamus. *In civitate liberâ & animus & lingua esse debent libera, Svet in Tiber.* quemadmodum in oppressa ne mutire quidem virtutes audent.

§. III. *Synonyma* nobis sunt omnia hæc, matrona, mulier, fœmina, virgo, puella: neque ullam admittunt in se distinctionem: cum, quæ virgini competunt, eadem mulierem virtus quoque & gloria deceant. Virtus enim nec censum nec sexum eligit, docente id, *Seneca lib. 3. de benef.* multo minus unius sexûs, ætatis gradus ac ordo in virtutis distinguetur exercitio de jure; quamvis (ut ajunt) de facto eveniat.

§. IV. Hisce ergo nominibus præmissis, subiectum definitionis examinandum est. Et primò quidem remotive: cum
nonnulli,

nonnulli, nescio, quo perciti in mulieres œstro, easdem *malum*
necessarium, malam herbam, dulcem calamitatem, imbecillum, molle
ac inconstans genus; imo quibusdam, dubito quo inspirante ge-
nio, ita placuit *συναλίξεν, fœminam imperfectum esse animal.*
Quod vero cuivis bono bilem litemque movet, inventus est,
qui fœminam non esse hominem, non joco, sed serio ac con-
stanter negabat. SS. codice nefariè abutens: dignus sane, qui
porcâ se aut lupâ natum gloriaretur. Sed nos suis autoribus
κακοζήλια suasque ineptias remittentes, Fœminam ad ima-
ginem Dei, quemadmodum virum, creatam hominem, ad ge-
neris humani, ut perfectionem, ita propagationem, è S. S. Pan-
dectis rationisque lumine dicimus: adeo quidem, ut defini-
tionis membra examinare qui velit, eum actum agere, & *ἀρρο-*
σία τῆς διανοίας laborare, existimemus.

CAP. III.

De subjecto in Specie:

& quidem

I. De Fœminarum veterum Eruditione, aliisque
Virtutibus.

§. I. Inter veterû fœminas illustres primas meritò sedes
locamus sacris. Fuerunt autem (α) artis musicæ, psalterij, ci-
tharæ, tympanique pulsandi peritissimæ quam plurimæ mu-
lieres in Israël, *Exod. 15. v. 20. Judic. 11. v. 34. 1. Sam. 18. v. 7.* (β)
Vates S. prophetissæ, *Exod. 15. v. 20. Debora Jud. 4. v. 4. Anna*
Phanuelis, Luc. 2. v. 36. (γ) Judices, Debora, l. c. (δ) Regina,
ut Semiramis Assyriorum Monarcha, & Regina Arabiæ felicis,
quarum eruditio prudentia potius ingenere; hujus autem
summa etiam Sapiencia olim & vere fuit, *2. Reg. 10.* Men-
tio quoque fit illustris fœminæ Candaces, Reginae in Merœe
Insulâ, *Act. 8. v. 27.* Attaliæ *2. Reg. 11.* Esther, *Esther. 2.* (ε)
Bellatrices, Jaël, *Judic. 4.* Judith, *Judith. 13.* Domina, *2. Job. v. 1.*
aliæque varijs virtutibus conspicuæ fœminæ, ubi inter alia
pro sexu isto plurimum facit communicatum ipsis vaticinandi
& donum, & munus publicum, *Joël 2. Luc. 2.* Eruditio verò
earun-

earundem Theologica tantum & moralis erat, cujus summa erat: *Time Deum, & serva mandata eius.*

§. II. Sacras excipiunt prophanae Mulieres. Et in his quidem primas sibi & merito imputabunt partes Græcæ, quæ propriis quasi artes ablacarunt uberibus. *Arete* quandam Aristippi, Socratis discipuli, filiam, literis Græcis juxta atque Latinis ita eruditam tradunt, ut tota Græcia animam Socratis migrasse in illam, diceret. Hanc eruditionem Philosophicam hausit à Patre Aristippo, celeberrimo Atheniensium Philosopho, qui eam salutaribus monitis instituebat, exercens docensque eam, ut id, quod nimium esset, contemneret, ut *Laert. lib. 2.* (Inde *Bocatius lib. 2. de laud. mul.* citante eum *And. Guevara lib. 2. Horol. Princip. c. 33.*) autor est, sceminam hancce præstantissimam non privati saltem commodi gratiâ literis dedisse operam, sed alios quoque erudisse: siquidem naturalem Philosophiam moralemque in Scholis & Academiis Atticis, XXXV. annis, professa CX. discipulis Philosophis est. Nec ore tantum, verum scriptis etiam publico profuit: libros enim circiter XL. composuit. Quod vero familiam ducit: patre functo Scholam illius rexit, vivaque voce auditores magnâ frequentiam docuit, uti refert *Zuvingerus in Theatro suo p. 3768.* Quibus virtutibus ac meritis elegantissimo postea Athenienses parentarunt epitaphio:

Nobilis hic Arete dormit, &c.

§. III. Altera Græcorum Stella fuit *Themistoclea*, Pythagoræ soror, cui simile & insigne nomen refert *Lactantius l. 8. 24.* *Nullas, inquit, unquam mulieres, philosophari docuerunt, præter unam ex omni memoria Themistin.* Quæ variantia nomina an uni tribuenda sceminæ sint, non patet. Certè *Laertius l. 8.* non Themisten eam, sed Themistocleam ubique nuncupat. Stupenda autem sunt, quæ de ejus dotibus maximis referunt autores. Fratre enim ejus Pythagorâ Rhodi docente, ipsa in Thracia professa philosophiam est. Et cum Pythagoras celebratissimus olim fuerit philosophus, admirationem superat, non Themistocleam à Pythagora, sed Pythagoram à Themisto-

mistoclea philosophiam didicisse. *Laërtius* expressè, Pythagoram à Themistoclea moralia accepisse dogmata, testis est. *lib. 8.* Quod ipsum demirari satis non possunt Eruditi, ut nesciant, quemnam hæc mulier magistrum habere potuerit, cum discipulum habuerit Pythagoram. Extat Pythagoræ ad eam Epistola Rhodo missa, cujus inscriptio sic habet: *Pythagoras frater & discipulus Themistocleæ sorori & magistræ incrementum Sapientie.* Adeo fœminas quoque conspecta virtus inter magnos viros ponere, & aliquando præponere eis solet.

§. IV. Sed filiam quoque fuisse Pythagoræ, nomine *Policratam* (ab alijs *Dama*, à *Laërtio l. 8.* *Damo* vocatur) puellam eruditissimam & ob eloquentiæ felicitatem in honore habitam, *Dicaearchus & Plutarchus lib. de regim. Princ.* tradunt. Ad humanam siquidem pertinet laudem, ut patrum decus in sobole resplendeat. *Leo Nativ. Domin. cap. 6.* Quod verò id ei præ patre habitum sit honoris, ut plus ipsius apud eorum verbum, quàm patris in Scholâ docentis valeret Philosophia: aut favorem vulgi, novitatis avidissimi, imperitiam aut licentiam fuisse judicandum existimamus. Quod autem ex favoris abundantia aut fingendi licentia dicitur, consonum adeo veritati non est. Vulgi judicium, uti in præsentibus defixum duntaxat est, ita variat plerumque, incertumque est. Gravissimum autem & verissimum est, Græcis historicis plerumque Poëticiæ similem esse licentiam, *Fab. lib. 2. cap. 4.* hinc Græca veritas. Et repertus est, qui Homerum Græcis faventem, non veritatem aliquando (quando nimirum dormitavit) sed favorem in extollendis Græcis usurpasse. Jam quicquid ex favore unius partis dicitur, illud ex alterius invidia oritur. Quod verò ex invidia dicitur, veritas non est, *Cass. 1. 9.* Semper dignitatis iniquus iudex est, qui aut invidet, aut favet, disserit gravissimè *Cicero, orat pro Cn. Plancio.* Conjicimus autem id ex Patris Pythagoræ testamento & legatâ Filiaë *Policratæ* librorum suppellectili, in qua commentaria sua eidem commendavit, ut ait *Laërtius l. 8.*

§. IV. *ASPASIA* Milesia, Mileto oriunda (*Plato in Epit.*) non infimum inter Græcas Heroínas habet locum. Capta hæc ab Atheniensibus Pericli tandem, quem docuerat ante, nupsit, in fausto patriæ matrimonio: ut pote quod duobus bellis, Peloponnesiaco & Samio, causam dedit, *Plutarch. in Pericle.* Acutissima quippe Sophistria & (quod in hoc sexu rarissimum est) Rhetorices Magistra eloquentissima fuit: quod ex specimine eloquentiæ seu oratione funebri ejusdem advertere facile est, vide *Platonem id Menexeno. seu Epitaph.* in cujus libri fine Socrates & Menexenus beatam pronunciant Aspasiam, quæ tam doctas & elegantes faciat orationes.

§. V. Neque prætereunda silentio est Poëtria insignis, & in antiquitate celebratissima *Sappho* Lesbia seu Eresia. Carminis hæc peculiare invenit genus, quod à nomine ipsius *Sapphicum* hodie adhuc audit:

*Integer vitæ scelerisq; purus
Non eget Mauri jaculis nec arcu
Nec venenatis gravida sagittis*

Eufce pharetrâ.

Invenisse eam plectrum, multaque scripsisse carmina lyrica & Epigrammata, Jambos, Elegidia &c. tradit antiquitas. Commendatur Platoni scemina hæc à formæ præstantia: *Sapphus*, inquit, *mulier pulcra*, *Plato lib. de Pulchro.* Nimirum etiam forma virtuti suum addit suffragium, *Pacat. in Paneg.* *Plutarchus* vero magnos ipsius, ob carminum, quæ pangebatur, elegantiam, spiritus demirari haud potest: tam enim magnificè de se ipsa sensit, ut ad divitem quendam scribere ita non dubitaverit:

*Te simul lethum rapiet, jacebis
Nec suo quisquam celebrabit ore:
Particeps non es quoniam rosarum*

Pieriarum. Plut. de Conjug.

Præcept. ad Eudoxiam & Pollianum. Num vero una aut duæ ejusdem nominis fuerint, expeditum nondum eruditus est. *Mityleneam* alteram ferunt, de qua *Mnemosyne Musarum mater*

ter

ter cum stupore pronunciaſſe fertur, μή δεκάτην μῦσαν ἔχουσιν
ἔφοροι. num decimam Musam habent mortales?

§. VI. ROMANAE Græcarum Fœminarum claritatem
excipient. Hesperia Domina *Nicostrata*, à victrici milite, nī
fallimur, aut virtute, nuncupata (namque *Carmenta* Virgilio
dicitur, aut à carmine, cujus erat peritissima, vel quasi carens
mente, ob instinctus divinos, sicuti derivat *Plutarchus*, in *quest.*
Rom.) Regis Evandri mater perquam erudita: & ita erudita
quidem, ut, quæ de illius eloquentia sapientiaque Græci me-
morant, fabulosa auctoribus videantur. Fabulosæ opinionis
rationes sunt, (α.) quod eam scripsisse de Trojano bello. (β)
quod, nisi per invidiam conjecti in ignem ejus fuissent libri,
obscurum Homeri futurum nomen fuisset. (γ.) Denique, quod
oculata eam belli Trojani testem ferunt: quod cum Maro-
nis *Æneidos* historia quomodo conveniat, non video. Ra-
tiones: 1. Loci sanè Regniq; Evandri à Phrygia distantia est
maxima. 2. Si oculata testis: fuerit in castris necesse est. Si in
Græcorum seu Achivorum? aut cum Evandro rege, aut
absque eo ibidem egit. Non cum Evandro, *lib. 8. Æneid*, Ma-
ro testis est: Ergo absque eo. Quid verò fœmina in tot ab
invicem centenis milliariis German. distinctis regionibus
negotij habet? Num legatum egit? Contra jus hoc gentium
est. Quod tamen in medio adhuc relinquimus.

§. VII. Ab Eloquentiæ laudibus Regina hæc celebratur
admodum, & in poësi quidem maximè. Vates fuisse veteri-
bus creditur; quod 1. Trojæ excidium 2. *Æneæ* in Italiam ad-
ventum. 3. *Lavinia* nuptias. 4. *Ascanium Æneæ* filium *Albam*
Longam conditurum. 5. A Regibus Latinis orituros Roma-
nos. 6. duriolemque Romanorum de Græcis aliquando fore
ultionem, quàm Græcorum de Trojanis fuisse supplicium sum-
tum. 7. Romanos maximo bello *Affricam* perdituros. 8. Ro-
mam de omnibus ferè terrarum regnis ac populis. 9. de ipsa
autem *Roma* gentem quandam incognitam triumphaturam,
prædixerit. Et notatu dignum est, quod *Liv. lib. 1.* *Carmenta*
tam fatiloquam ante *Sibyllæ* in Italiam adventum miratæ sunt
gen-

gentes. Oraculi autem noni limitari necesse est. 1. *Subjectum* 3
nempe gentem, quæ Germana vel Turcica est. 2. *prædicatum*,
ad triumphare, quod sumi potest vel pro translatione Impe-
rij ad Germanos; aut pro ablatione Orientalis Imperij. Ali-
às absolutè de Romano Imperio nemini concedimus. Quæ
ejusdem Oracula, uti multa in se & exempla veritatis & ratio-
nes continent: ita, si ea Carmentam prodidisse constat, divina
verè sunt.

§. VIII. Sed & Magnates in summa Mulierum Eruditi-
onem admiratione habuerunt, omnisque generis nobilitati e-
am ac divitijs prætulere. Unum si protulero in exemplum
Alexandrum, multum fecero. Amavit hic literas post cre-
pundia non minus, quàm ipsum Orientis Imperium cogitavit.
Fessus deinde bello, quietem sibi ac pulvinar Homerum, alios-
que Sapientiæ præceptores quæsivit, magnus Imperator. Hujus
amoris erga literas præclarum edidit specimen, cum oblatam
sibi in uxorem Darij, & pulcerrimam & divitem ac generosam,
filiam, quod sapiens literataque non esset, magno animo re-
spuisset, matrimonij se, legibus patrijs, nondum capacem præ-
tendens; BARSINAM verò pauperem quidem formaque non
adeo præstantem, cæterum Græcis Latinisque literis insigni-
ter eruditam, duxisset. Illa enim tempestate Sapiencia & do-
ctrina, non divitiæ, in ducenda conjuge, spectabantur, & ut
quæque erat doctissima, ita splendidissimas sortiebatur nu-
ptias. Quanquam deinde *Statyram* quoq; Darij filiam duxe-
rit Alexander, C. Curt. lib. 10. Justin. lib. 12. & cum amicis nona-
ginta quinque dies continuos nuptiales epulas celebrarint.
*Ælian l. 8. Ant. Guevara Horol. Princip. l. 2. c. 35. n. 368. ex Annis
Rustico & C. severo. citat.*

§. IX. Neque Lydi suo frustrati sunt ornamento, in *Myr-
ti* Reginâ suâ. Hæc corpore ita depresso erat, ut nana vide-
retur! animo autem ita sapientia perpolitio & excelso, ut gi-
gantea f. magna parvitas diceretur palam. Et quod inter a-
lias ejusdem dotes caput est, philosophiæ peritissima, inter
septem, quos Lydia gloriosissimos se jactat habuisse, Reges
recensita est, *Strabo, de situ urbis.*

§. X.

§. X. Carmentam comitetur CLAUDIA, quam priscam
Plutarchus, de præc. conjug. vocat. Vestalis autem fuit virgo (an
erudita nullus, quod sciam, autorum meminit) pudicitia ali-
isq; virtutibus clarissima. Hæc in stupri suspitione, cum Ma-
tris idæ simulachrum in vado Tyberis hæreret, ad proban-
dum pudicitiam suam, cingulo duxisse navem, quam multa
hominum millia trahere nequiverant, fertur, *Valer. Max.*

§. XI. Erat quoque Cornificio veteri poetæ soror COR-
NIFICIA, Græcis æque ac Latinis literis instructissima, nec
non in politis carminibus & Epigrammatis scribendis versa-
tissima. In hanc ipsam Fœminam ea concessit naturæ prom-
ptitudo, quâ meliores extempore versus ac epigrammata,
quam frater præmeditatus, composuerit. Adeo natura inter
homines lusu quodam variat, ut quam imbecilliolem genuit,
præstare fortioribus aliquando jubeat. Sed nec hodie ejus-
dem exempli subiecta defunt (uti infra videbimus) quæ urere
viros, aut ad invidiam odiumque concitare fœminarum nos
haud debent, cum veteres gloriati potius sint, tales se habere
fœminas, uxores, filias, aut sorores sibi gratulantes. Quod
ipsum & Cornificius Calphurnio civi cuidam opulento, sor-
tem sibi tenuem laceramque exprobranti, respondit. *Sed &*
felicis, inquit, nomen ideo mihi sumo, quod sororem habeo totâ Italiâ
honoratissimam; tu verò uxorem habes in tota urbe inhonestissi-
mam, Laert. l. c. Petr. Crin. de poet. lat. lib. 2. c. 29. Fulgof. lib. 8. cap.
3. Cal. 14. cap. 1.

§. XII. CORNELIA Matriona, paterno genere, reque
bellica clarissimo Cornelia, materno ex Fabiis oriunda, Sem-
pronii Gracchi uxor, cui longè majorem peperere existimati-
onem, quas Romæ docuerat, scientiæ, quam, quas ex Africa fi-
lii repotarunt, victoriæ. Plures autem in familia hac extitis-
se Cornelias illustres, & quatuor admodum, autores testantur.
Seneca duarum meminit: *Ex una, ait, tibi familia Cornelias duas*
dabo, Sen. ad Helv. 16. Præstantissima tamen fuit Graccho-
rum mater, cujus laudatur. 1. *Eruditio insignis Philosophica,*
quam non ad delectationem, otiumque privatum, sed publico

etiam bono destinabat, cum Romæ publicè in Schola doceret, perfectissimi esse sapientissimi que animi existimans privatae utilitatis cum publicis commodis conjunctam habere rationem, *Nazan. 2. Orat. 33.* Collegia autem Philosophica instituit tum publica, uti dictum, in Schola: ut & privata domique suæ. Ipsius quippe domum philosophiæ studiosi frequentarunt, referente *Fabio, lib. 12.* 2. *Scripta* ejus, in quibus & sapientiæ eminentia stylique elegantia mirificè ab Autoribus commendatur. Cicero quidem Eloquentiæ uti parens, ita eruditionis omnimodæ princeps, de ea ita in Rhetoricis pronunciat: *Nisi, inquit, fœminæ nomen CORNELIÆ obstitisset, inter omnes emereret Philosophos, nunquam enim à carne debili tam graves vidi proficisci sententias.* Edidit autem varia scripta, epistolas potissimum, quas legisse Ciceroni parum fuit, nisi sententias quoque illius excerptas usurpasset. *Cicero in Bruto.* Extat adhuc Epistola ejusdem ad Gracchos filios, quam Sextus Charonæus, libro de laudibus Mul. (citante *A. Guevara Horol. Princ. lib. 2. cap. 36. num. 372.*) describit. 3. *Discipuli*, quos (α) filios habuit *Cic. in Bruto, Gracchi, ait, non tam in gremio quam in sermone matris educati.* & *Fabius: Gracchorum eloquentiæ multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cujus doctissimus sermo in posteros quoque epistolis est traditus, Fab. lib. 1. cap. 1.* Quod ipsum etiam in scripto, statuae ejus impressa, & Romæ supra portam in viâ Salanâ, ostendit.

Discipulis felix, Gracchum Cornelia mater,

Quos docuit; Natis, quos peperit, misera.

(β) *Exteros*, aliosque Romanos, quos *Fabius lib. 12. cap. ult.* in Corneliæ laudes citat, ejus (non scholam tantum publicè sed) domum quoque privatim studiosos frequentasse. 4. *Amor* studiumque eruditionis atque eruditorum, quod præclare de literis senserit, adeo quidem, ut eruditionem eruditosque sua dixerit præcipua ornamenta. Interrogata aliquando à Romano quodam, magisne gloriaretur quod tantorum Magistræ discipulorum, an quod talium mater esset filiorum, qui scilicet

scil. armis virtuteque bellica præstarent? Ego inquit, *majori*
mibi laudi duco, quam paravi scientiam, quam filios, quos peperit;
nam filij (addit Guevara l. c.) quidem superstitis honorem incolu-
mem, discipuli vero extinctæ memoriæ immortalẽ præstabunt.
Verè itaque & sapienter Gallus. Nostræ (ait) vie mondaine est
caduque & mortelle, & la belle loüange est tousiours eter-
nelle, *Ronsard lib. 4. cap. 119.* Soli nempe virtuti, quæcunque
fuerit, æternitas propria ac dedicata fors est. Præclarum est,
quod matronæ cuidam Campanæ, ornamenta sua pulcerrima
ostentanti, non aurum, non gemmas, non denique vestes op-
posuerit, sed liberos, qui maxima sunt matronarum ornamen-
ta, *Val. Max. lib. 4. cap. 4.* Hujus matronæ laudes recenset Ju-
venalis, Satyr. 6.

Malo Venusinam, quam te Cornelia mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.

§. XIII. *Sulpitia* fœmina & genere & eruditione nobi-
lis, auctoritate gravissima, *Posthumii* focrus, insigniter com-
mendatur, præter *Livium lib. 39. cap. 11. 12. 13.* ab aliis quam plu-
rimis. *Valeria* & *Veturia* nobiles Romanæ Matronæ, quid
erudita ac disertâ suâ Oratione apud plebem, nec non apud
implacabilem *Marcii* animum præstiterint, legere licet apud
Livium A. V. C. Dion. Halicarnas. lib. 8. antquitatum Rom. Erant
quoque *L. C. Syllæ*, acerrimo *Marii* consulis æmulo, tres filiæ
quarum duæ, uti forma præstabant, ita earum tertia *Lelia Sabi-*
na eruditione cunctis tum Romanis antistabat. Etenim (α)
Romæ Græcè simul & Latinè, idque publicè, profitebatur, teste
Bocatio, lib. de clar. mul. β. Habitâ in Senatu oratione, pa-
trem justissimo exemit interitu: siquidem *Sylla* legiones du-
as, quod crudele est, post victoriam: quod nefas, post fidem
contrucidavit, *Sen. lib. 5. de benef. cap. 6. Florus lib. 3. cap. 21 Liv.*
Epit. lib. 88. Quæ docuit suavissimè, scripsit elegantissimè:
quod ipsum variæ ejus orationes ostendunt ac epistolæ, quas
Sylla pater memoriæ mandatas, quo erat ingenio, ad suum ac-
commodatas institutum, in Senatu recitavit; quapropter ha-
bitus

bitus Romæ fuit, uti in consilio dando sapiens, in agendo dexter, inque urgendis cœptis constans; ita eloquentia elegantissimus, Fabius, *Lælii*, inquit *filia reddidisse in loquendo paternam eloquentiam elegantio rem, dicitur, lib. cap. 1.* Quæ vero de Herfilia, Fulvia, Sulpitia, Livia, aliisque vetustioribus traduntur, ita in earundem laudibus sese consumpsit antiquitas, ut vix laudandum quicquam restet. Nos proinde missis Ethnicis, ad Christianas properamus.

§. XIV. Fuerunt autem quamplurimæ in primitiva Ecclesia mulieres sanguine Christiano eruditione ut & martyriis conspicuæ, quas ex historia Ecclesiastica recensere cùm chartæ jam Disputationisque leges vetent, ita Deo operam istam di-eique commodiori committimus.

§. XV. Neque desunt huic seculo, in quibus sexus fœmininus insignia edidit specimina, mulieres. Cui, quæso, omnigena & in sublimi posita CHRISTINÆ, SVECORUM, GOTHORUM, VANDAL, Regina, ignota eruditio est? Literarum sane cum multis Cardinalibus, Salmasio, Heinsio, aliisque doctissimis viris habitum commercium, nec non tot eidem dicti Panegyrici, ac in scriptæ libris dedicationes, sapientem eam atque literatissimam, communi orbis suffragio, pronuntiant.

§. XVI. Agit adhuc Hagæ-Comitis illustrissima Princeps ELISABETHA, FRIDERICI, Bohemiæ quondam Regis, filia natu maxima, literis ac studiis Philosophicis deditissima, cujus, quæ acu & penicillo duxit ac pinxit, lineamenta nos, cum eidem officii gratia adstaremus aliquando, in stuporem egerunt: siquidem in affabre ejus factis non tam manum elegantem, quem ingenium sublime avarâ contemplatione legebamus. Huic Principi, *Renatus des Cartes* suæ Philosophiæ inscripsit, inque dedicatione, ad quam lectorem remittimus, ejusdem complexus laudes est.

§. XVII. Huic adjungimus MARIAM GORNACENSEM, matronam illustrem in Gallia, & gravissimam, quam si alteram Corneliam, ob singularem & sapientiam & eloquentiam

tiam, dixerimus, parum dixerimus. Laudavit eam inter alios
Ludovicus Jacobus à Sancto Carolo, Cabilonensis Carmeli-
ta, in Bibliotheca illustrium foeminarum, quæ scriptis clarue-
runt. Extant quoque nonnulla ingenii ejus monumenta &
scripta edita; uti liber de, *égalité des hommes & des femmes*,
qui conversus tamen in latinum sermonem est, &c.

§. XVII. Sed posteritatis admirationem superabunt duæ se-
culi hujus ordinisque eruditorum Musæ, CUNICIA & SCHUR-
MANNIA. Prior quidem MARIA CUNICIA (paterno ge-
nere ex Cuniçziis, ex foedere verò matrimonii à Leonibus
(Bon Löwen) dicta, Domina & hæreditaria in Künzendorff &
Hohengierßdorff) Silesiæ nostræ, in decus insigne & gloriam, fe-
lici sorte ita contigit, ut eam tamen oppidum Bicinium possi-
deret hucusque exiguum, cui orbis jam non sufficit. Heroïna
hæc generosissima, uti parentibus Nobilibus atque eruditis
nata est, ita non nisi in Eruditi concessit consortium thala-
mosque, uxor Excellentissimi Experientissimique viri, *D. Eliæ*
à Leonibus (alias Kretschmer dicti) M. D. ejusdemq; per Sile-
siam & vicinam Poloniam practici felicissimi & mertissimi.
Hujus Musæ peritiam in linguis, cum (quas vocant) Erudito-
rum, tum aliarum exoticarum, Germanicæ, Italicæ, Gallicæ,
Polonicæ, &c. acu penicilloque fictas pictasque elegantias:
Musicæ modulationis dulcedinem: præcipuè verò in tanto e-
ruditionis ejus apparatu modestiam atque humanitatem ex-
pertus haud in uno eruditorum confesfu ac discursu sum. Sed,
ne parum de ea dicamus, culpaque ingenii ejus deteramus
virtutes, tacere hic, Orbisque auscultare suffragia & laudes
præstat. Inclaruit hæc nobilissima Virago quam maximè, e-
dito jam pridem volumine Mathematico, grandi cum inscri-
ptione, *MARIÆ CUNICIÆ URANIA PROPITIA*: qui
liber uti lectoribus suis certissimo est emolumèto, ita æternan-
tem annalibus famam debet atque gloriam. Dignum enim
conscientia & commendatione posteritatis opus est, nisi fœ-
minarum præconium virorum convitium videri possit, verba
sunt Stradæ, *de Bell. Belg. lib. 5.*

C

§. XVIII.

§. XVIII. Alterum Europæi orbis, & sexus fœminæ gloriæque nomen est *ANNA MARIA SCHURMANNIA*, ex ditione Coloniensi genere & prosapia Schurmannorum antiquissima gloriosissimaque, & nunc Trajecti ad Rhenum in Belgio agit. In hujus nobilis sive virginis laudes omnes, quarum & linguas & sapientiam habet perspectam, etiam religionis ratione non habitâ, consurrexere nationes. Laudarunt in Dea ista viri Doctissimi, pietatem omnimodam excellentissimamque linguarum, artium & facultatum cognitionem; ego verò (quod in isto præclarum sexu est & rarum) modestiam & humanitatem tanti Nominis admiratus plus millies coràmque sum. Inaccessa quippe peregrinis, etiam illustribus Personis, privatim est, neque videre ipsius mihi pulvinaria, vel audire oracula toto, quod Ultrajecti exegi, biennio licuisset, nisi singularis *D. Gisberti Voëtij* in me benevolentia ac præsentia id dedisset effectum. Hunc enim senem, Patrem in Christo, ac tutorem solum agnoscit & vocat, adeo ut absque illius indultu aditus ad eam nemini pateat. Quam ejus virtutem, ac decus virgine prudentiamque in saluatoria mea ad eandem oratione coràm collaudavi. Faciem cum videas, in comparabilis est, adeo ex corpore generoso verecundia, modestiaque cum sapientia ambiguis micant radijs. Pietate nemini devotioneque cedit: quemadmodum enim in Theologia & Philosophia eruditissima est, (Reformatam alias amplectitur religionem) ita conciones sacras in Ecclesia sedulò frequentat. Quod verò majus est, lectiones Theologicas publicas *D. Gisberti Voëtij* diebus *♃* & *♄* cum pedissequa, ex peculiari adque id operæ destinato conclavi, attentissima auscultat. Ita nempe, queis dulcedo eruditionis probata semel est, omnem licet devorent sapientiam, librorum helluones, esuriunt porrò sitiuntque. O omnibus posterorum annalibus, æternisque monumentis memorandam virginem, quæ maritali complexu posthabito, solis sese & innuptis Musis dedit sociam, ut esset hodie, quæ diceretur Musa, vel Europa potius. Virtutes autem ejus in exempli stuporem acti
plenis

plenis buccis prædicant: partim, quæ edidit secundo opusculâ,
ut & viri, cum quibus literarium ei intercessit colloquium, do-
ctissimi, Rivetus, Spanheimius, Salmasius, Heinſius, Barlæus,
Naudæus, Gruterus, Crucius, supra citatus Ludovicus Jac. à
S. Carolo, Carmelita, in Bibliotheca illustrium fœminarum,
& Poëtæ quam plurimi. Ad me quod attinet, elinguem me,
ad celestissimas virginis istius virtutes prædicandum, lubens
ac ingenuè profiteor; atque ideo, dignum illustrium animo-
rum laudatorem, Illustrem ipsummet Claudium Salmasium
de ea, in præfat. ad Misc. Defin. differentem audiamus:
*Habemus, inquit, in urbe unius diei itinere hinc distita, virginem
nobilem, haud minus quam Hippian numerosa arte multisciam, &
tanto magis eo nomine mirandam, quod in hunc sexum rarius cadit
tanta ingenij fœcunditas, tanta artium copia, cum omnes calleat, tot
virtutum conjunctio, cum nulla careat. Quæcunque manu conscri-
& mente concipi possunt, tenet una. Sic pingit, ut nemo melius. Scul-
pit, fingit ex ære, ex cera, ex ligno similiter. In Phrygionica arte, & in
omnibus, quæ muliebrium sunt curarum & operum, omnes antiquas
& hodiernas provocat ac vincit mulieres. Tot verò doctrinarum
dotibus instructa est, ut nescias in qua magis antistat. Tot linguarum
donis ornata est, ut, non contenta Europæis, in Orientem usque studio
& industria pervolarit, comparatura ibi Hebræicas, & Arabicas, Sy-
riacasque, quas adjungeret jam quæsitis. Latine ita scribit, ut viro-
rum, qui tota vita hanc elegantiam affectarunt, nemo politius. Galli-
cas Epistolas tales concinnat, ut vix meliores Balzacius. Cæteris in
Europa linguis æque bene utitur ac illi, quibus sunt vernacula. Cum
Judæis Hebræice, cum Saracenis Arabice, potest commercium
habere litterarum. Etiam viris arduas & spinosas scientias ita tra-
ctat, Philosophiam nempe scholasticam & Theologiam, ut omnes stu-
peant, quia prodigio similes res est; nemo æmuletur, quia nemo potest
imitari; nullus etiam invideat, quia supra invidiam ipsa est.*

§. XIX. Claruit in Polonia quoque, nostrâ adhuc me-
moriâ, virgo doctissima *ANNA MEMORATA*, Rev. olim
D. Jacobi Memorati Pastoris Lesnensis filia: quæ inter nuces
adhuc & crepundia latinitati assyeta, ac porrò cum fratribus
suis

61
Tn
7007

suis convictoribusque confabulando, latinas ad mensam reci-
tando sententias atque historiam, fortè fortuna ad eam latinæ
linguæ progressa est scientiam, quam in doctis quoque deside-
ramus aliquando. Poëtria insignis est: cujus artis egregium
dedit specimen, edito latino carmine, Illustrissimoque Comi-
ti de Leszno Leszczynsky dedicato, itē sarmatico sermone
suæ functæ parenti lesium conscripsit. Cumque Polonæ genti
latina lingua familiaris admodum est, quis eruditas illustres-
que eorundem scēmas in catalogum referet?

§. XX. Quô autem impensius in scēmas inquirimus,
eò plures, imò sine numero, sese nobis offerunt, cum earum
copia in Claustris canobijsque detur maxima. Meminit *A.M.*
Schurmannia, in *Epist. 2. ad Rivetum* cujusdam Principis, *Joannæ*
Graja (cujus historiam Michaël Angelus Florentinus descri-
psit) magno eam pronunciasse animo, sibi nihil in omni vita
tam gratum fuisse, quam quod trium linguarum, quas erudi-
torum vocant, notitiam haberet. Item, *Lucretie Marinelle*
Italæ, conscripsisse eam librum, *La nobiltà e l' excellenza, delle*
Donne, con diffetti mancamenti, de gli huomini.

Quæ sexui scēmino in gloriam & exem-
plum satis hic sunt.

F I N I S.



Wp

200



am reci-
m latinæ
e defide-
egregium
e Comi-
fermone
næ genti
illustres-
uirimus,
n earum
nit *A.M.*
is, *Joannæ*
s descri-
mni vita
s erudi-
Marinelle
ca, delle
ini.

ULB Halle

003 496 759

3





QV. 522, 9

IN

DISS

FO

ILL

in

M. J

S



J

B. m. T.



ICTI

RICA I.

LUM

IONE,

. April.

BINIO,

store.



OBI,

r.

ndt/



KODAK Color Control Patches

Kodak LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

Ruler with inches and centimeters markings

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black